



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Praefatio In Indicem Librorvm Prohibitorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

PRAEFATIO
IN INDICEM LIBRORVM
PROHIBITORVM.

Confectum à deputatione Tridentinae Synodi R. P. F. Francisci Forerij, Ord. Fratrum Præd. S. Theol. Professoris, & eiusdem Deputationis Secretarij.

Cum Sancta œcumenica Trident. Synodus, suis rationibus adducta, quæ in 2. Sessionis Decreto sub Beatissimo Pio IV. Pontif. Max. explicatæ sunt, censuisset, ut Patres aliquot, ex omnibus verò nationibus delecti, de librorum censuris quid statuendum esset, diligenter cogitarent, in eam tandem sententiã, post diurnam deliberationem venerunt, ut indicarent nihil utilius fieri posse, quàm si Romanus ille prohibitorum librorum Index, ab inquisitoribus Romæ postremò confectus, paucis tantum demptis, atque etiam additis, retineretur, quippè qui cum magna maturitate à multis viris doctis compositus plurimos comprehendat auctores, atque in ordinem satis commodum digestus esse videatur.

Quoniam verò intelligebant, propterea in aliquibus Prouincijs, ac locis hætenus eum Indicem receptum non esse, quod in eo quidam libri prohibentur, quorum lectione viri do-

Et privati, magno incōmodo afficerentur, atq;
animaduertentes etiam, in eo esse nōnulla pa-
rū explicatè posita, quæ interpretatione indige-
rent, re multum diuque deliberationibus agi-
tata, ac viris etiā ex omni natione, Theologica
facultatis scientissimis, in consilio adhibitis,
subiectas Regulās componendas iudicarunt,
vt quoad eius fieri posset, dictorum hominum
commodum, & studijs salua veritate, ac reli-
gione, prospiceretur. Illud igitur in primis ob-
seruari oportet, vnāquamque pene alphabe-
ti literam tres habere classes.

In prima non tam libri, quàm librorum
scriptores continentur, qui aut heretici, aut
nota heresis suspecti fuerunt, horum enim Ca-
thologum fieri oportuit, vt omnes intelligant
eorum scripta, non edita solum, sed edenda et-
iam prohibita.

Sed illud etiam animaduertendum est, qd
licet multi præterea sint, qui iustissimis de
causis in hanc classē referri poterāt. Patri-
bus tamen non is fuit animus, aut ad eorum
pertinebat institutum, vt eos ad vnum perque-
rerent, sed ijs bene contenti fuere, qui in Romæ
no Catalogo descripti sunt, de alijs vero eius-
dem generis auctoribus, idem ab Ordinarijs,
Inquisitoribus statuendum esse existimamus.

In secundam Classē non auctores, sed libri
sunt relati, qui propter doctrinam, quam conti-
nent, non sanam aut suspectam, aut quæ offe-
ndit

tionem etiam in moribus tantum fidelibus afferre potest reijciuntur, etiãsi auctores, à quibus prodire, ab Ecclesia nunquam desciverunt.

Tertia verò & ultima classis, eos libros complectitur, qui sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, & eam doctrinã continent, quam Romana Ecclesia, tamquam Catholicæ fidei, aut morum integritati contrariam, refutandam ac repellendam esse decernit.

Non enim omnes libros, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos putarunt: quandoquidem sepe viros dictos, ac sanctos novimus, ut Christiana quidẽ Resp. ex eorũ vigilijs fructũ caperet, ipsi verò inanem gloriã evitarent, libros optimos siue nomine edidisse, sed eos tantum, qui aut liquidò pravam, aut dubiã fidei doctrinam sine moribus perniciosam continent.

At verò, qui sint huiusmodi aut tales censeri debeant, præter eos, qui in hoc Catalogo descripti sunt: Episcopi & Inquisitores, unã cũ Theologorum Catholicorum consilio, dijudicabunt.

Sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in posterum libri, sine nomine auctoris edantur, decreto quartæ Sessionis Trid. Conc. sub sel. rec. Paulo III. quod incipit. Sed & impressoribus, &c. prouisum est.